

II. *Epistola D. Joannis Philippi Breynii, M. D. & Societatis Reg. Soc. De Plantis & Insectis quibusdam rarioribus in Hispania observatis.*

Viro Celeberrimo,
 Domino Hans Sloane, Med. Doct. &
 Illustriss. Societati Reg. Angl. à Secretis &c.
 Joannes Philippus Breynius, J. F.
 S. D.

Nullæ quamvis ad meas Româ, ut Tuis & Illust. Soc. Regiæ mandatis morem gererem, ad Te datas, quibus præter nova quædam literaria, artem imprimis nostram spectantia, Alcyonii cujusdam elegantissimi iconem & descriptionem, unâ cum meâ de Alcyonii femine conjecturâ addideram: nullæ, inquam, quamvis mihi redditæ sint responsoriæ, ex quo minùs forte eas ad palatum fuisse tuum possem colligere; præsentes tamen iis superaddere sum ausus, ut si invitorias a te ad scribendum obtinere non valeam, prohibitorias saltem, quæ calamo meo nimiâ pruri-gine forsitan tibi, Vir Celeberime, gravioribus negotiis obruto, molestâ laboranti, altum imponunt silentium, extorqueam. Ut autem abque ulterioribus verborum ambagiis ad rem ipsam accedam, paucis dicam, me valedixisse Romæ elapso mense Januario, transiisse Loretum, Anconiam, Bononiæ, Ferrariam &c. tandemq; non leviter rigidiore tunc temporis, quam mihi imaginatus fueram, brumâ tentatum attigisse Venetas. Ut ut autem nihil de splendi-dissimâ hâc Urbe literis hisce inferere constituerim, per illustre tamen Excellentissimi D. Christini Martinelli, Nobis

Nnnnnnnnnna

lis

lis Veneti & summi, ut cæterarum bonarum artium & scientiarum, ita & Rei herbariæ Patroni Nomen, ob fervidissimum, quo Botanicém prœsequitur, amorem, & plurima mihi etiam non tuerenti præstata officia, intactum relinquere, paculum duxi. Post quinque hebdomadarum dimoram Vene-
tij Patavium me contuli, ad celeberrimam in arte Machaoniâ præsertim Académiam, quam etiamnum, licet Studen-
tium numerus, illo, qui fuit quondam, longè sit inferior,
Clarissimis in hâc arte Professoribus (quibus ex meliori luto
sinxit præcordia Titan, quique excusso miserrimo auctorita-
tis jugo, verè rationalem, mechanicam puto Philosophiam
& Medicinam liberè profitentur) ceu tot luminibus corru-
scantem deprehendi. Sufficiet nominasse Gulielminum, Ma-
thematicum & Theoreticum insignem; Ramazzinum maxi-
mæ eruditionis Virum; Vallisnerium, uti in omni Medicinæ
parte versatissimum, ita in Insectorum indagine, eorumq;
(scimus ac plurimi hoc avo faciunt, Insecta collegisse, ob-
jecto descriptisse & depinxisse satis esse rati) generationis &
Metamorphoseon hoc seculo non agnoscente parem, quod
præter ipsius scripta Italico Idiomate edita, Opera testabun-
tur brevi edenda & Illustriss. Societati Reg. consacranda;
quibus futilem esse spontaneam Insectorum generationem
ex putredine, contra nonnullos etiam Neotericos, qui haud
parum in hâc arenâ desudâsse existimantur, non vanis spe-
culationibus, sed solidissimis Præceptoris sui M. Malpighij
immortalis memorie Viri vestigijs felicissime insistens, de-
monstrabit experimentis & observationibus. Sufficiet, in-
quam, nominâsse D. Abatem Felicem Viali primi subsellij
Botanicum, Viscardum Anatomicum, Marchettum Chirur-
gum, deniq; D. Abatem Fardellam verè Philosophum, ut
alios fileam. Horum omni laude majorum Viatorum hu-
manissimâ doctissimâque consuetudine (ad quam Hortus
accedebat publicus, nec non ille Excellentissimi D. Joannis
Francisci Mauroceni, Nobilis Veneti & h. t. Oratoris sere-
nissimæ Reipubl. apud summum Pontificem &c. Mæcena-
otrum Rei Botanicæ Principis, qui uti me præsentem Romæ,
ita

ita jam abscentem Patavij variis cumulavit honoribus & obsequiis, rarioribus plantis Alpini præsertim & Siculis superbi-erentes) adeo mox fui captus, ut in attimum moras hic & quidem longiores nectere induxerit, me totum & unicè studiis, a quibus varia itinera & alia hinc inde observanda me di-verterant, redditurus; nec defuit proposito successus. In hoc autem suavissimo otio, in quo tamen ut verum Tibi absq; jactantiâ fatear, nil fui minus, quam otiosus, cum Ephemerides meas Hodæporicas qualescumq; evolverem, incidi tandem in illum candido mihi semper notandum lapil-lo diem, quo me Hispanorum terram, fugitivo quamvis pede pressisse per vitam gloriabor. Subiit mox animum meum cogitatio, me forte non, quod dici solet, oleum & operam perditum, nec opellam tibi ingratam præstitum, si illius diei tibi & Illustriss. Societati Reg. brevem quandam exhiberem ~~Σταύρον~~, quam accipe sequentem.

Anni elapsi d. 31. Augusti Styl. Engl. potentissima Classis bellica Anglo-Belgica ventis adversis & tranquillitatibus nimium retardata, jactis in sinu maris, qui est prope parvulum oppidum Alteam in regno Valentiae, anchoris, ut dulcium aquarum penuria, quā laborare incipiebat, novarum collectione mederetur, certus mox militum nautarumq; numerus Præfectorum jussu, in littus, ad fluvii non quidem magni, sed limpidissem & saluberrimam lympham ex proximitate montibus devoluta veloci cursu in mare sese exonerantis descendit ostia. Egredi terram hanc, quam eminus videbam, cōminus quoq; accuratius incredibili lustrandi flagrans desiderio, die subsequente ante ipsum solis ortum & ipse visitavi littus, per integrum diem hinc inde, quantum limites à militib; præfixi permittebant, sedulus oberrans. Regio erat alpestris, taxolis elatiōrum montium jugis in ipsum cœlum sese quasi abscondentibus; mare inter tamen & prædictum flumen oppidumq; planities videbatur satis spatioſa, arenosa partim, partim argillacea, quæ postmodum in janjam descriptos montes sese extollebat, quæq; frumento Saracenicō ex parte confita, maximam partem verò inclita,

mihi certè ob rarissimarum plantarum numerum longè à Naturâ cultior, & quovis horto gravior campus. Omnia cœlesti adhuc madebant rore, qui in hisce Regionibus, uti nosti, esse solet longè liberalior, pluviarum, utpote rario- rum h̄ic æstivo tempore defectum aliquomodo supplens; uti hoc tempore quoq; eum ad digitii latitudinem solum penetrasse observabam. Sed roridam hanc lympham brevi dissipabat æstuans Syrius, hoc die ferme intolerabilis; ita ut solum paulo ante dictâ lymphâ tam benignâ à Matre Naturâ perfusum, mox quasi squalidum & exustum spectantium fere offerret oculis. Litus ipsum arenosum erat, innumeris silicibus variæ magnitudinis conspersum, sed quod mirabar præter nodosas vilium algarum radices & paucas aliquot pilas marinas habebat nihil, ita ut ne unicum quidem fucum aliamve plantulam marinam, aut vix ullam concham me vidisse meminerim. Nulos quoque, etiamsi quæsiverim, reperi lapides aliqua figura insignes. Saxum verò ex quo Montes maxima ex parte componebantur coloris erat grysei, nec uti hariolabar insignis duritie.

Vegetabile regnum largiorem mihi præbebat messem, utpote quod, tam delectabili & tam rara oculos pascebatur, nares & manus varietate; ut oculus in nullam plagam converti posset, in qua non rariorem mox deprehenderet herbulam; nares nullibi ab exhalationibus aromaticarum & odorifera- rum varii generis plantarum per atmospharam dispersis non ferirentur; manus verò licet nunquam feriarent, operi ta- men impares essent. Sed ne dum multa dico, nihil dixisse videar, occupato in generalioribus calamo, en paucarum quarundam, ex multis à me observatis, stirpium tumultu- ario ordine congestum catalogum:

Nerion fl. rubescens, C. B. P. Oleander, Laurus ro- sea, Lob. Hujus quam plurimæ arbusculæ tres pedes vix excedentes floribus siliquisque onustæ supradescriptam pla- nitiem decorabant.

Silqua dulcis, C. B. P. cum fructibus maturis.

Lentiscus vulgaris, C. B. P. copiosè cum fructibus in lit- tore, raro 4 pedes superabat. Pinus

Pinus maritima minor, C. B. P.

Rhamnus Hisp. saxatilis, capillaceo folio, Inst. R. H. copiosè baccis nigris-gravidus inter saxa. Folia quidem non erant verè capillacea, sed tamen admodum angusta & longa.

Thymelæa fol. Lini, C. B. P. copiosè.

Thymelæa tomentosa foliis Sedi minoris, C. B. P. Sana-munda tertia Clus. cum flosculis admodum frequens.

An præcedentis varietas foliis inferioribus Myrti incanis? An verò *Thymelæa Hisp.* foliis Myrti incanis, Inst. R. H?

Erica foliis Corios, multiflora, J. B.

Malus punica sativa, C. B. P.

Myrtus angusti folia, Boetica, C. B. P.

Palma, C. B. P. hujus unica arbor altissima plantata videbatur.

Palma humilis, spinosa, J. B. Inter saxa frequentissima, fructibus foeta maturis aurancei coloris. Hæc pumila erat admodum, utpote truncum vix emittens, nec folia ultra pedem & dimidium ergebantur; eam differre existimo à *Chamæryphi*, cuius excelsas arbores in Belgij & Italæ hortis me observasse memini. Sapor fructuum dulcis est cum insigni adstrictione.

Convolvulus argenteus elegantissimus, foliis eleganter inscisis, Inst. R. H:

Tithymalus Hispanicus, folio longiore cordiformi, Inst. R. H.

Centaurium minus *Hispanicum*, floribus minoribus.

Centaurium minus, spicatum, flore rubro, Hort. R. Par.

Coronopus Siculus, fruticosus, platyphyllus, Boccon.

Marrubium Hisp. supinum, foliis sericeis argenteis, Inst. R. H.

Rosmarinus Hortensis, angustiore folio, C. B. P. nascitur copiosissime in planicie.

Thymum incanum minus. An *Thymum supinum*, can-dicans, odoratum, Raij Syn. Stirp. ext. Brit.

Lavendula Hisp. latifolia tomentosa, Inst. R. H.

Origanum Onites, C. B. P. *Origanum Creticum*, I. B.

Helianthemum Thymi folio, glabrum, Inst. R. H. Cistus fol. Thymi, C. B. P.

Salicaria Hyssopi folio angustiore, Inst. R. H. Hyssopifolia minor angustioribus foliis, C. B. Pin.

Helianthemum foliis Rorismarini splendentibus, subtus incanis, Inst. R. H. Cistus Ledon fol. Rorismarini subtus incanis, C. B. Pin.

Hypericum tomentosum, supinum, minus, s. Monspeliacum, C. B. P.

Cistus mas, folio rotundo, hirsutissimo, C. B. P.

Cistus Ledon, foliis Rorismarini hispidis, C. B. P.

Vulneraria Hispanica frutescens Cisti Halimi folio incano, nunc simplici, nunc terni, flore luteo, spicato. Hanc novam tecum judicavit Cl. I. B. Triumfetti.

Doryonium Monspeliensium, Lobel.

Anonis non spirifera, flore luteo, variegata, C. B. P.

Jacobaea Hispanica, Rorismarini foliis, Inst. R. H.

Polygonum maritimum, Hispanicum, caulis longissimum, Inst. R. H. Flagella saepius tres vel quatuor pedes adaequant, foliis ubi florent ut plurimum vidua.

Adiantum foliis Coriandri, C. B. P. frequentissimum ad rivulorum margines.

Sed haec, ne siccâ Graminum speciosiorum licet, Cyperorum, Juncorum aliarumq; Plantarum enarratione tibi stomachum moveam, sufficient. Itaque cum delectat varietas ad Animalia transeo; ex quibus non Leones feroce, nec turrigeros tibi referam Elephantes, hos enim a me jam non expectas; sed vilia & abjecta aliquot delineabo Insecta, mole ut ut longè, non tamè artificio, jam jam enumeratis minora. Quod equidem non fugit tot ex vestritibus Clarissimos Viros, qui in eorum Historia componenda, tam articie desudarunt & adhuc desudant. Ex immenso igitur Locistarum sc. Papilionum, Phalænarum, Libellarum, Cochlearum, &c. a me in Hispania observatarum numero, pauca saltē annexorum Schiematum ordinem secuturus delibabo.

Tabulæ primæ igitur Fig. 1. Locustam exhibet, quæ an descripta sit, nec ne ignoro, certe mihi videbatur rarissima. Coloris erat viridis elegantissimi, figuræ verò & magnitudinoris, quæ in figurâ exprimuntur. Tardè sese movebat alis destituta, quarum locum in tergo, immediate sub clypeo duæ parvulæ, rotundiusculæ, lutescentes occupabant membranulæ. Caput antennis ornabatur longissimis, & articulatis viridibusque pariter. Unicam saltem videbam Oleandro insidentem.

Figurâ 2. adumbratur Insectum, quod ab Aldrovandro in Hist. Insect. L.4. T.5. f. 2. & 3. nomine Bruchi insolentis figuræ depingitur describiturque ; sed descriptio ejus manca est & Icon minime accurata. Caput huic meo Insecto erat oblongum, superne cristatum, & duabus brevissimis antennis anterius donatum. Corpus & Crura tenuissima, cauda vero latiuscula, articulata, circumflexa ac in ambitu crenata, simili eminentia per medium excurrente. Quiescens Corpus cum binis anterioribus cruribus complicatis erectum tenebat, progressum vero ijs quoque ad ambulandum utebatur, quæ nihilominus pro arripiendo viatu forcipum instar primariò mihi videbantur fabrefacta. Color totius ex cinereo erat luteolus, maculis fusco-nigricantibus interspersis. Unicum duntaxat reperi inter gramina, quod postmodum per decem dies absq;ullo alimento servavi superstes, donec tandem fatali vitæ ejus filum abrumperem acu. Ad hoc genus quoq; referendum quod Aldrovandus dict. libr. T. 3 f. 9 exprimit.

Figura 3. Insectum exhibit, quod Moufettus & Jonstonus nomine Mantes describunt & delineant. Ad quod genus meo judicio pertinet ex Aldrovando l. c. T. 1. f. 1. & 2. & T. 3. f. 10 ex Jonstone T. 13. f. 18. 21. 22. & præterea omnia Folia ambulantia dicta ex Indiis delata, quæ minime Vegetabilium folia in ejusmodi Animalcula transformata, uti somniarant nonnulli, sed Insecta Insectorum modo producta esse, omnibus facilè rem accuratius examinantibus, nec tam faciles aures prodigiosis fabulosisq; relativioribus præbentibus patebit, opinor. Meum itaq; hoc Insectum

sectum eandem exacte figuram habebat & magnitudinem, quæ in fig. 3. videntur. Quatuor instructum erat alis, quarum duæ superiores venosæ aridorum foliorum texturam habebant & similitudinem (hæc magis conspicua in Indicis speciebus, unde fabulæ origo) coloris ex flavo fusci ; inferiores vero dictis majores quidem, sed subtiliores, nec ita venosæ, flavicantes, nigris maculis aspersæ : Ita ut superiores quodammodo thecarum vices gerere viderentur, ut in Scarabæorum genere observamus. Præterea notanda extremitas ventris bifurca, anteriora crura crassiora, ferrata, uti in Insecto antecedente, quæ etiam ad eundem usum a naturâ instituta. Corpus reliquum colore erat ex fusco luteum.

Cum binorum ultimorum Insectorum figuras Clariss. Vallisnerio supra laudato forte fortuna ostenderem, ipsi, pro summâ, quâ me prosequitur humanitate & benevolentia inox ex annotationum suarum Thesauro sequentia de iisdem mecum communicare placuit. Scilicet ab ipso etiam esse reperta in Italia in Scandanis nempe, Regii & Coneglanis Collibus, sibi quoq; missa ab amicis ex Marca Anconitanâ, Maurata, Liburno & Florentia ; se tandem eadem fovisse in suo horto. Esse ejusdem generis Insecta, sexu saltem diversa, marem videlicet illud, quod alis caret Fig. 2. a me depictum, fæminam vero alatam fig. 3. adumbratam. Ab Hispanis dici Saltamonte, a Liburnensibus *Cavallo verde*, ab amico suo D. Cestono *Grillo-Centaurum*, a se vero *Araneo Locustam*. Se eadem aliquando observasse meis figuris dimidio majora, fæminam sæpius coloris virescentis, unde *Cavallo verde* Italî dicitur. Esse porro carnivorum & jucundo sane spactaculo prædam suam, ut Muscas, Gryllos, Locustas minores, imo nec proprio suo generi parcendo, cruribus anterius venari, capere, breviq; erectum, ut plurimum devorare ; non leve ferociæ & Tyrannidis argumentum. Præterea fæminam unius noctis s. 8. horarum spatio cellulosum suum extruere nidum, podice elevata totum opus perficiente, & reliquo corpore immoto.

immoto. Antequam verò generationi aptæ sint, fæmellas biennium attigisse opus esse observavit, tumq; primum suum elaborare nidum nucis avellanæ magnitudine, qui anno subsequentे nucem superat & tertio tandem binas adæquat. Nidificationis tempus esse Autumnum, Mense Mayo verò vel Junio anni proximè sequentis inde prodire prolem communis cum parentibus figuræ, sed exilissimam, quæ centenarium numerum plerumque, subinde verò duplicatum, pro magnitudine nidi & matris ætate provecti-ori, attingit.

Nidi ipsius figuram ante oculos ponit fig. 4. quam ex eo, quo me jam nominatus Vir donavit, desumsi. Coloris est ex luteo cinerei, videturque compositum ex humore lentescente ex podice emissso & indurato. Rusticis vulgo *Cicala secca* dicitur, qui eundem mortuam aridamq; cre-
dunt cicadam.

Fig. 5 & 6. representat Iulum, qui admodum erat fre-
quens in terrâ sub. plantarum foliis. Colore gaudebat
albo, nigris annulis atroq; inter annulum & annulum puncto
distincto. Caput nigrum quemadmodum & pedes.

Et hactenus quidem de Insectis à me in Hispania obser-
vatis, quibus ob thematis affinitatem, Animalcula tria ma-
rina, quæ non procul ab Insulâ Yvicâ Maris Mediterranei,
Mense Augusto, à Nautâ quodam Mari tranquillo innatantia
reperta ad me deferebantur, subjungere liceat. Omnia
in Tabula secunda delineantur. Et primum quidem ex
Urticarum marinârûm ab Auctòribus dictarum genere est;
cujus fig. 1. partem adumbrat superiorem; ejus limbus
non nihil concavus coloris erat cœrulei amoenissimi, medi-
um verò orbis aliquantulum convexum, striisq; circularibus
ac radialibus ornatum, coloris argentei. Radiorum instar
eminentes Appendices à supina parte ortæ, quas satis
celeriter remorum instar sursum & deorsum movebat,
erant dilutæ cœruleæ & fermè diaphanæ, quarum extre-
mitatibus minutissimi adhærebant subtilissimis suffulti pe-
dunculis globuli ex nigro cœrulei. Hæ autem Appendices

levissimā abradibantur Minervā, ut totum adeo animalculum ut pote valde molle & mucosum destrueretur.

Fig. 2. exhibet ejusdem partem supinam, quæ præter Appendices jamjam descriptas, filamentis duorum generum exornabatur ; primum genus circa marginem positum brevibus teretibusque constabat filamentis dilutè cœruleis & glabris ; alterum vero centrum occupans, brevissima quidem habebat, ast circa extremum orificio quodam hiantia, colore albo. Hisce animal dubio procul aliis corporibus adhæret capitque alimentum.

Fig. 3. hujus demonstrat Appendicem Microscopio viam. Cæteræ figuræ omnes naturalem habent suam magnitudinem.

Secundum quod miri Hirudinæ marini species & quidem lepidissima videtur fig. 4. exponit ejus scilicet tergum, quod non nihil planum, striâ in medio argenteâ longitudinali elegantissimè pictum, lateralibus lineis obscurè cœruleis ; cuius coloris quoque erant pinnæ argenteo intermixto, quas natando celeriter movebat. Latera colore gaudebant dilutè cœruleo, prona vero pars S. venter albo. Capitulum ei erat oblongum dupli barbulâ binisque oculis instructum ; os rotundum parvulum, quo variis se rebus, suctione ut puto, affigere solet. In latere sinistro foraminulum conspiciebatur, quod pro ano habebam. Hujus speciei duo vel tria vidi Animalcula, quæ in vitro aquâ pleno paucas intra horas expirabant ; dumque in Vini spiritu servare tentabam, mox summopere contrahebantur, colore cœruleo in luteo-ferrugineum mutato.

Agmen denique claudat Cochlea (fig. 5, 6, 7.) quædam colore, quam figurâ speciosior, rariorque ; cœruleo enim tincta erat saturo, aliquantulum, quamvis parum admodum ad roseum quoq; vergente. Cœterum erat tenuissima, lubrica & subtilis ; animalculum abscondens fig. 5. expressum, quod humorem fundebat ejusdem cum testâ coloris ; ipsi adhærebat firmiter aliquid ad instar spumæ viscidæ, qua mediante aquæ innatabat superficie. Et hæc Cochlea marina ob colorem suum cœruleum adeo rara

rara est, ut nullam huic similem vel descriptam, vel in Cimelii repositam, me observasse meminerim. Quin Doctiss. & Rev. Patef Bonannius in libro cui titulus, *Recreatione dell' Occhio &c.* Part 3. Probl. 35. ex eodem fundamento conculserit non dari in rerum naturâ, nec posse dari ob rationes ab ipso allatas, quæ loco citato fuse videri possunt.

Præter descripta hîc aquatilia coloris cœrulei omnia, frequentia quoq; apparebant animalcula ab Imperato Vela marina dicta perelegantia, itidem cœruleo imbuta colore, quæ etiamsi accuratiore examine digna sint, hîc præteribo, ne navis meæ in hoc oceano fluctuantis vela, denuo horum commemoratione turgere inciant, quæ lubens jam contraho. Superest ut prolixitatis literarum mearum à te petiam veniam, utinam tantâ in lectione earum perfundereris delectatione, quantâ ego in rerum, quæ iis includuntur observatione; sed hoc prohibent, tum materiæ sterilitas, quum inconditus stylus, cui ut ignoscas, meq; & conatus meos qualescunq; Illustriss. Regiæ Societati ulterius de meliori notâ commendes, etiam atque etiam rogo. Vale, Vir Celeberrime, meq; ut cœpisti, ama.


Dabam Patavii pridie Calend. Aprilis, 1704. Styl. nov.

III. Part of a Letter from Mr N. Regnart, concerning a Pin found in the Gizard of a Fowl.

Sir,

I Cannot but take notice to you of a particular accident, that seems to deserve your Observation: Which is, that in cutting the Stomach or Gizard of a Fowl, finding something resisted my Knife, upon examining it farther, I discover'd it to be a Pin, which the Pullet had swallowed,



Fig : 1



3



2



6



7






Fig : 2



Tab : 1

5

